

Nathan Chyträus

EPIGRAM=||MATVM || NATHANIS || CHYTRAEI.|| LIBER I.||

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1573

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn174555596X>

Druck Freier  Zugang






J. A. B. 2
v. 2. s. 276 ✓

Cg-1523.^{1.2}

Ex
Bibliotheca
Academicae
Rostochiensis



EPIGRAM=
MATVM

NATHANIS
CHYTRÆL

LIBER I



ROSTOCHII

ANNO M. D. LXXIII.

Handwritten signature and date: G. J. f. 30/1.2.

MARTIN
MARTIN
MARTIN
MARTIN
MARTIN

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis

Handwritten scribbles or marks at the bottom right of the page.

2
EPIGRAMMA
TVM NATHANIS
CHYTRAEI.

LIBER I.

AD ILLUSTRISSIMUM
PRINCIPEM ET DOMINUM,
DN. IOHANNEM ALBERTUM,
Ducem Megapolensem, &c.
Dominum suum clemen-
tissimum.

DE BVCEPHALO.



Vcephali caput in clypeo cur inclya
te monstras?

Cum boue prestanti quid bonita-
te duci?

Scilicet haec eadem Cimbrorum glo-
ria Brennus

Regna per Italiae prospera signa tulit.

Quin eadem Nestor peritura ad pergama Troie

Signa habuit prestans mente manuq; senex.

Horum utriq; animis & dulcis flumine lingua

Cum par sis, Herulis gloria prima tuis:

A 2

CUR

Cur eadem non signa tibi Dux optime dentur?
 Quæ patriæ indicium nobilitatis habes.
 Maeste animo princeps, fortem tua dextera Brennum
 Nestoreos superet uiuida uita dies.

DE VL RICO DVCE
 MEGAP. IN HORTO PATAVI-
 no herbarum inspectione se ob-
 lectante.

Nvper in Euganeo cū Dux Megapyrgius horto
 Plantarum aspiceret germina, Phœbus ait:
 Cur tu queso sacris princeps carissime Musis
 Hac regione mihi conspiciendus ades?
 Tunc ille Vlricus, proavis qui regibus ortus,
 Menalia procul hinc me regione colis?
 Dignaq; doctiloquis largiris præmia Musis,
 Et claris Musas qui coluere uiris?
 Salue gentis honos patriæ, Dux inclyte salue,
 Tu quoq; tu nostro munere clarus eris.
 Nunc quoq; cum celebri plantas scruteris in horto,
 Et placeant oculis munera nostra tuis:
 Fallor an heroes heros imitatus auitos
 Hac quoque laude illis te cupis esse parem.
 Huic olim prestans animi inuigilabat Achilles,
 Deditus huic Hieron Lysimachusq; fuit.
 Posteritas hinc grata illos post funera laudat,
 Nomen & illorum germina certa ferunt.

Forunda

EPIGRAMMATVM.

5

Fortunate heros, tu nunc eris alter ab illis,
 Quos genere equiparas exuperasq; fide.
 Perge modo, doctasq; libens defende sorores,
 Varnus ubi roscas en tibi spirat aquas.
 Nomine sic meritoq; tuo sine fine manente,
 Floridius quouis germine germen eris.

Patauij VI. Kal. Aug.
 Anno 1566.

HENRICO PACIFICO
 DVCI MEGAPOLENSIVM
 ILLVSTRIS.

Henrico prognatus auo Magnoq; parente,
 Hic situs Henricus condita membra tegit.
 Qui bonitate sua & meritis, linguaq; senili
 Nestor erat, patriæ duxq; paterq; suæ:
 Nestore quin melior pietate & pacis amore,
 Nunc ergo eterne gaudia pacis habet.

V. A. LXXIII. D. V. Obijt
 Suerini 8. Id. Feb. Anno 52.

MAGNO HENRICI FL
 LIO DVCI MEGAPOLENSI,
 principi suæ ætatis doctis-
 simo.

A 3

Filius

Filius Henrici princeps re & nomine Magnus
 Flos patriæ ante patris funera moesta cadit.
 Par fatum Antilocho nactus, sed clarior illo,
 Et melior studij nobilitate sui.
 Scilicet ingenio cunctos superauit & arte,
 Quos habet eximios Teutonis ora Duces.
 Illius ad tumulum Pitho, Aonidesq; Themisq;
 Tam celebrem lugent non superesse Ducent.

Vix. A. XLI. Obijt Butzauis
 4 Cal. Febr. Anno 50.

ALBERTO DVCI ME-
GAPOLENSI ILLV-
 strissimo.

Henrico generatus auo Magnoq; parente
 Hoc dux Albertus conditur in tumulo.
 Magnificus, magniq; animi, patriamq; iuuando,
 Ornandoq; simul iustitiâq; potens.
 Quin etiam multa natorum prole beatus,
 Quos colit eximios Herula terra Duces.
 Fortunata senex, tua molliter ossa quiescant,
 Vita etiam natis sit diuturna tuis.

Vix. Ann. LX. D. V. Obijt
 8. Id. Ianu. Anno 47.

GEOR

GEORGIO DVCI ME

GAPOLENSI, ADOLE-

scenti fortissimo.

Hic Magno prognatus auo, Albertoq; parente
 Dux iacet, Herculeo robore, corde, manu.
 Pro patria primo pugnare Georgius auo
 Sultus, & hostiles ui superare minas.
 Mars dolet, effundit lachrymarum flumina Mœnus
 Optantes tantum non cecidisse Ducem.

Vix. A. N. XXIII. D. V.

Obijt 20. Iul. Anno 25.

ALBERTO, IOHAN

NIS ALBERTI FILIO, DVCI

Mcgapolensi, puero indolis gene-
 rosissima.

Hic situs Albertus, quo se iactabat alumno
 Herula gens, hic ille patri matriq; uoluptas,
 Spes patriæ, magni proles generosa parentis,
 Felicis mimium, propria hæc si dona fuissent,
 Quæ tantum Deus ostendit, mox abstulit orbit.
 Hæu miserande puer, tu nunc eris alter ab illo,
 Tu Marcellus eris, tumulo date lilia plenis
 Pierides calathis, uestri monumenta doloris.

Obijt in Borussia apud auum.

Anno 61. 2. Martij.

A 4

ALBER

ALBERTO MARCHIO,
NI BRANDEBURGENSI,
primo duci Borussiae.

Heroum decus & specimen uirtutis auite,
Dux iacet hic belli gloria, pacis honos.
Marchiaca quem stirpe satum coluere Borussi,
Primus in hac princeps nam regione fuit.
Cui quinquaginta placide & sex praefuit annos,
Dux pius & legum iustitiæq; parens.
Hic Academiam primo his fundauit in oris,
Qua non maius habet terra Borussia decus.
Hoc duce Castalios spirat mons Regis odores,
Spirat & Aonias Bregela cultus aquas.
Nunc dolet exanimem Pietas, Respublica plangit,
Amissumq; dolent templa scholæq; patrem.
Vna patrem patriæ lux ut dedit, abstulit una:
Vix illi similem secula longa dabunt.

Gubernauit annos 56. placide obdormiuit
anno 1568. 13. Kal. Aprilis, hora 6. matu-
tina, cum annum ætatis 78. pene consecisset.

ILLVSTRISS. VLTRICO
DVCI MEGAP. LIBRVM
herbarium mittit Patauio.

QVAE decerpta tibi Patauino mittimus horto
Germina, dux facili fronte manuq; cape.
Plantarum

Plantarum hic poteris uiuas cognoscere formas,
 Hic poteris oculos pascere ut ante tuos.
 Illa quidem uiguerit prius, quando ipse uideres
 Omnia, nunc arent, tam uigor ille breuis.
 At tu si studia hæc Musarum dona fouebis,
 Ut facis, & nosti munus id esse tuum,
 Ambrosiæ in morem felix sine fine uigebis.
 Nec poterunt laudes tollere fata tuas.

D. EMERANO CIRIN-

GIO, I. C. ET ILLVSTRIS.

Vlrici Ducis Megapol. Consi-
 liario cariss.

Inclita Parthenope Megalepolis inclita plange,
 Occubuit uestros summum decus inter alumnos.
 Occubuit patris eximij clarissima proles,
 Ciringa de gente satus, flos aureus illi,
 Flos nimium breuis & fluxus. quandoq; tenellum
 Parthenope genuit: genitumq; alucere salubri
 Ambrosiæ succo dulces ante omnia Musæ.
 Mox, quæ fida Iouæ summo comes aßidet, illum
 Iura Themis docuit, iustumq; ostendit & æquum:
 Innumeris quibus ille alijs, dum uita maneret,
 Profuit: imprimis quas Balthica litora stringunt
 Totas impleuit meritis ingentibus urbes:
 Eximijs carus ducibus, populoq; suisq;

A S

Sincerusq;

Sincerusq; iterum, caris & amicus amicis.
 Huic tali licet & tanto, fera parcere Parca
 Noluit in primo uernantis flore iuuenta.
 Pierides tamen eternum meminere iacentis :
 Cumq; illis Themis alma gemit: gemit optimus ipse
 Dux, patriæ columen: populus lachrymantia tergis
 Lumina : patroniq; memor Chytraeus amici,
 Hoc quoq; cum lachrymis summi dat pignus æ
 moris.

E I D E M.

Ignis ut accensus flammis qui illustribus ardet
 Est breuior, citiusq; iacet : si fumus euidem
 Materia sudante premat : uiuacior ille
 Ingratum micat è tenebris, alimenta perosus
 Parca nimis. sic Ciringi clarissima uirtus,
 Illustre ingenium, & gnaræ sapientia mentis,
 Iudiciumq; senis iuuenili in corpore, saluum
 Non potuit superesse diu : locus incremento
 Nullus erat, uirtutum apices & summa tenenti.
 Non mirare igitur iuuenem periisse, per omnia
 Eximium. quin præclaris uirtutibus eius,
 Non annis senium numerata, canumq; uidebis
 Nestora, quem Antilochū conspecta fronte putar as.

TV MVLVS

GEORGII FABRICII
 VIRI CLARISSIMI

Fabricii

Fabricium quando magni domus ardua cœli
 Abstulit, & sanctos inter diuosq; locauit,
 Terra decus perijisse suum, laudemq; perennem
 Ingenuit, fecitq; adeo conuicia cœlo,
 Obijciens illi inuidiam iniustasq; rapinas.
 Cui contra Cœlum: & rectè tibi perfida tantum
 Eripui uirtute uirum, quo indigna fuisti.
 Nec tuus ille fuit misero dum uixit in orbe,
 Sed meus. hinc illi æternam post fata coronam
 Imposui merito, quam spes illius & ardens
 Cum pietate fides dudum expectare solebat.
 Cur retinere uelis, qui terræ filius esse
 Non uoluit, sed cœlesti flagrauit amore?

Audijt hæc probra et rixas magni arbiter orbis,
 Et medius placidè tantas componere lites
 Talibus aggreditur. probris desistite tandem,
 Et cohibete animos. neuter priuabitur illo
 Quem petitis. nam Fabricio tam nobile nomen,
 Quod nec fata queunt, nec mors abolere, nec urnæ
 Concessi: librosq; eius nulla eximet æuo
 Annorum series, non inuidiosa uetustas.
 Præterea mens cœlestes in pace triumphos
 Exiget, & mundi curas ridebit inanes.

Assensere Deo cœlum & lætissima tellus.
 Sic igitur laus Fabricij, sic gloria uiuet
 Perpetuo in terris: in cœli spiritus arce
 Sentiet æternos uitæ immortalis honores,

A. V.

V. A. LV. M. II. D. XIX. Objit
Mifne XII. Iulij. Anno 1571.

AD PETRVM VICTO-
RIVM DE CAPTA LV-
SCINIA.

Lusciniam cepisse Lacon captamq; necasse
Fertur, ut hac avidam pelleret ore famem.
At postquam plumis exutam denuo uidit,
Vox tantum es dixit prater eaq; nihil.
Spartanos hæc facta decent. at tu optime Petre
Ductor Athenæi Pierijq; chori,
Cui Philomela tuam, nuper penetrasset arachnen,
Qua tua Romanæ proxima uilla uia est:
Tu caput innocuæ demulcens, libera dixti
Rursum eris, ob dulces quos canis una modos.
Nec mora diductis manibus leta euolat illa,
Patroniq; sui facta fidemq; canit.
Attendunt philomelæ omnes, totumq; per orbem
Disperse laudes Petre beate tuas
Diuulgant, quas nec memori quisquam eximet auo
Donec lusciniæ, carmina donec erunt.
At tu quisquis auem tam blandam ledere tentas,
Bubonum in tenebris flebile carmen habet.

AD GALÆ

AD GALLVM EX
AVSONIO.

Diccbam tibi Galle, senescimus, effugit *etas,*
 Vtere flore tui, si sapiſ, ingenij.
 Spreuisti: obrepsit non intellecta senectus,
 Nec reuocare potes qui periere dies.
 Nunc piget, & quereris, quod non aut ista uoluntas
 Tunc fuit, aut non est nunc uigor ille tibi.

DE CAMPIS VBI C
 SVS QVINTILIVS
 VARVS.

Quintilium noſtine Varum? quem maxim.
 Arminius patriæ uindex oppreſſit, an
 Noſti, inquam, qualis fuerit? Germania noui
 Illa uctus, quæ regnantem & noua iuſſa ferente
 Et deglubentem indomito quæq; obuia faſtu,
 Spernentemq; hostis tacitas ſine pectore uires,
 Non tulit, ut molleſq; Syri, & Phœnicia pubes,
 Imperijs aſſueti homines, ad iuſſa parati,
 Imbelleſq; illum tulerant, ibi ſceptra tenentem.
 Nam Syriam pauper locupletem ingreſſus, eandem
 Expilando inopem, diues, nudamq; reliquit.
 Non tulit hoc inquam Germani martius ardor,

Con=

Contemni impatiens & uiraci nescius olim.
 At dux si tanti fecisset prouidus hostem,
 In Syria quanti congestum fecerat aurum:
 Non isti stragem tumuli loquerentur auitam:
 Luppia non clades ueteres Amasisq; referrent.

DOMINO CHRISTOPHO
 RO PHILIPPO ZOTTA PER-
 negk Cesareo Legato.

Complures oculos Xenophon apud attica Cyro
 Dixit & innumeras regibus esse manus.
 Sic procul Arctoum dum Zote moraris ad axem,
 Caesaris & curas regia iussa tui.
 Cur oculum dextramq; negem te Caesaris esse?
 Cur non perpetua te pietate colam?
 Quod facio, faciamq; adeo dum uita manebit.
 Testis erit studij missa pagella mei.
 Hæc tibi serpentes uero pro numine cultos
 Et referet caso sacra peracta capro.
 Quæ quia credibile est multis ignota tuorum,
 En tibi sunt lectis hic renouata typis.
 Parua equidẽ fateor: sed tanti hæc parua patroni
 Nomine non dubitem magna futura uale.

ARISTIDES ET QUIN-
 TILIUS VARVS INTER SE
 comparati.

Palto

14
Pauper Aristides ad censum egressus agendum
 Quam fuit egressus pauperior redijt.
 Cur igitur subito est factus de paupere diues
 Ille Varus Syrii praeses auarus agri?
 Pauper Aristides patrie fuit utilis uni,
 At sibi, non alijs, utilis iste fuit.

IN HARPALVM.

Qui miseros deglubebat uiolabat inermes,
 Quaeator erat miseris Harpalus agricolis,
 Inuisus pueris, senibus, simul atq; puellis,
 Namq; operum exactor uix tolerandus erat.
 Subditus huic Damon uicino saepe Menalca,
 Dicebat querulis talia uerba modis.
 Finiat o utinam nostros mors certa labores,
 Unica nam nobis illa parata quies.
 Quin neq; post mortis, respondit, fata, Menalca,
 Aeterni requies certa laboris erit:
 Nam grauius stygio crucietur ut Harpalus igni,
 Ligna ferenda mihi, ligna ferenda tibi.

IN BASSVM.

Vt lapidem iactore canis sectatur omisso,
 Ignibus ut ferulam dat puer innocuam.
 Sic Bassus nimio postquam se proluit haustu,
 Que placuere prius frangere uitra solet.
 Vitra nihil meruere: tibi tu rectius ipsi
 Frange manus, bibulam uel tibi frange gulam.

DE

LIBER
DE DOMO AMPLA
ET SPLENDIDA.

- » **M**agna domus, magnos sumptus, magnosq; la-
bores
» AEdificanda simul, simul & reparanda requirit.
Si pereat: damnum est maius: si splendida duret,
Excitat inuidiam stimulis, oculosq; malignos
Vrit, & exitium domino fert sepe potenti.
Præ reliquis locuples mihi uilla Aurelia testis.
» Qui sapis ergo tibi, laudato ingentia tecta,
» Exigua incolito: poteris sub limine paruo,
» Et gaudens paruisq; sodalibus, & lare certo,
» Libertate frui, & regum præcurrere reges.

AD OBÆRATVM SO-
MNOLENTVM.

Hic iaceo somni cupidus, pernicibus alis
Ast oculos refugit perfidus ille meos.
Puluinos mihi quæso tuos, mihi stragula mitte,
In medios stertis sub quibus ipse dies.
Namq; ubi tu tanti dormis bene debitor æris,
Me dormire etiam non male posse puto.

IN VILLIVM.

VILLIVS

Villius it toties curto quadrante lautum,
 Et iactat generis nobile stemma sui.
 Iactat et acceptam generoso à Cesare laurum,
 Mirificeq; sibi se celebrando placet.
 Interea famulusq; cibus, eget ære crumena,
 Non etiam murem quo bene pascat habet.
 Quid tibi nobilitas prodest iam stirpis auitæ?
 Hic honor est, aurum si tibi desit, onus.
 Nil mihi cum lauro fuluum si deficit aurum,
 Nil mihi cum fama, si toleranda fames.

IN PSEVDOLVM.

Te sapere, et cunctis morbis cum laude mederi
 Posse putas, quim et Pseudole dicis idem.
 Credo equidem, resq; ipsa docet, te pellere uitam,
 Sic simul et morbus uitæq; pulsa fugit.
 Egregium uero medicum. tua pharmaca prestant
 Mortuus ut nullis post egeat medicis.

IN MARGAM.

Nurricem sese iactat templi atq; scholarum,
 Se celebrando sibi garrula Marga placet.
 Non equidem nego, nurricis nec nomina Margæ
 Detraho, sub certa conditione tamen.
 Namq; etiam est nurrix quæ mansum deuorat ipsa,
 Et pueri sputo labra tenella linit.

B

IN FINE

IN FILIUM VITI

ET VITAE.

Vita tibi mater, pater est tibi Vitus, id ipsum
 Perpetuò iactas, perpetuo repetis.
 Vitalemq; isto solum te nomine clamas,
 Omnia nominibus nam quis inesse neget?
 Non nego, sed vitulum potuit quoq; Vita creare,
 Et patre de Vito nasci etiam vitulus.

IN PSEVDOLVM.

Sinceri candoris amans & candidus ipse,
 Ut bonus est, alios sic putat esse bonos.
 At niger, & tenebris plenus, fraudisq; dolose,
 Ut malus est, omnes sic putat esse malos.
 Non tibi, non alijs igitur cum Pseudole credas,
 Esse bonus queso qua ratione potes.

IN PHILASOPHOS.

Transibat vicum uendentem thus & odores
 Rusticus, hic subito concidit exanimis.
 Mirantur iuuenes quibus urbis aromata cura,
 Vnguentisq; uiri pallida labra linunt.
 Nequidquam, riget ille tamen: quem rusticus alter
 Aspiciens, morbi gnarus & ingenij,

Succer.

Succerdam arripuit uico que forte iacebat,
 Arreptamq; eius naribus applicuit.
 Hinc subito uires animi uitamq; recepit,
 Tantum apud impuros stercora spurca ualent.
 Credis ab hoc iuuenes multum differre uirosq;
 Præ libris ueterum quis noua scripta placent?

**BONI COLENDI UT
 PROSINT, MALINE
 NOCEANT.**

Qui quæcunq; petēs laqueata palatia scandit,
 Cogitur ille bonis blandus & esse malis.
 His equidem, ne quid noceant, quia noxia turba est,
 Illis ut solita pro bonitate iuuent.
 Romula sic olim non tantum turba Salutem
 Cum Scabie seuam sed coluere Febrim.

**IN ALAZONA PO-
 LYPRATTVM.**

Cum te uel minimum nequeas audire monentē,
 Proq; aris in eas prælia proq; focis,
 In dubium si forte aliquis non fictus amicus,
 A te facta, tuo motus honore, uocet:
 Cum non esse uelis sed tantum sanctus haberi:
 Et satis esse loqui de pietate putes:

B 2

Cum

Cum tantū tu. & cuncta probes, tuāq; omnia laudes :

Contemn. asq; alios, cæcus amore tui :

Propria cum plenis recites encomia buccis :

Pedoremq; tuum punica mala putes :

Cum faciles pandas assentatoribus aures :

Et mala uirtutum nomine facta tegas :

Qua quæso ratione aliquis tua facta probarit ?

Quomodo non mendax laudibus illa uehet ?

Si Christo placet ille, sibi qui displicet ipsi,

Siq; odit mitis corda superba Deus :

Qua ratione etiam Christo uentose placebis,

Vsq; adeo placcas cum Polypratte tibi ?

IN ENNIUM ET

IPSIVS SIMIAM.

NIL nisi uirtutem patulo crepat Ennius ore,
 Nil nisi uirtutem simius iste crepat.

Quin culices audit tussire, & crescere gramen,

Vsq; sagax adeo sensus inest animo.

Interea inuigilare mero, contemnere sacra,

Cumq; Deo leges esse putare nihil,

Scortari, nugari, alios suspendere naso,

Et crepitus proprios esse putare rosas.

Hæc sequitur uirtus præcepta, hæc gloria certa est,

Hinc adeo dociles aspice discipulos.

Cum fatuo grege nil toto te uanius orbe est,

Dum facienda mones & fugienda facis.

IN GAL

IN GALBAM.

Mouisti quoties turbas, hoc ebrius egi
 Dicis, & ut ueniam dem tibi Galba rogas.
 Nocte suburanas adijsti, hoc ebrius egi
 Dicis, & ut ueniam dem tibi Galba rogas.
 Officium est quoties neglectum, hoc ebrius egi
 Dicis, & excusas crimina ex iminibus.
 Quin pudeat dignū baculo caput, improbe Galba,
 Criminibusne tegi crimina posse putas?
 Ebrius es gemina dignus me uide poena,
 Sobrius hanc nullo te redū mente lues.

IN BARBARVM.

IN templo, mensa, atq; scolis, uis primus haberi,
 Deq; loco rixas saepe priore moues.
 Fallor an in caelo, quo uide peruenieris unquam,
 Barre uoles ipso celsior esse Ioue.

IN IUVENES MANICATOS.

NICIATOS.

Cur bouis à cubitis iuuenum palcaria pendent
 Cur referunt nianice guttur Onocrotalis
 Quisq; sinu fatuum circumfert: optimus ille est
 Qui ne promineat, dissimulare potest.

B. 3

Hinc

Hinc uideas stolicam manicas extendere turbam,
Commodior factus ut locus esse queat.

IN GASTRICIUM.

Illud *μῆδ' ἐπ' ἄγχι χυ*, si quem bene scire fatemur,
Hunc ego Gastricum proximus esse puto,
Nam curtum curti, s' obolis mutare triticum,
Aedituo in temp'lis circumeunte solet.
Ne nimio fortasse, sti pem, grauet ære, rogantes,
En urbs munificum & Gastricana tuum.

DE TRAPULA SVSPENSO.

Trapula qui toties mendacia dixit, & ausus
Est toties furtis contemnerare manum,
Quid faciat queris? laua t' illum Iuppiter imbre,
Expositum radijs ungit Apollo suis.

IN VADIANVM.

Stultorum dicis regem, Vadiane, ministrum
Esse tuum, quod sit t' adior ingenio:
O te infelicem, siquidem n' do uera profaris,
O iterum serui maxima regna tui.
Stultorum rex, immenso dominatur in orbe,
Et metues famuli tu quoq; sceptrata tui.

DE PÆTO.

Pætus adulterij uxorem conuincere certus,
 Signa uiri cultero sustulit ipse sibi,
 Ut si iterum pareret, certò sine iudice scire
 Possset, eam certi criminis esse ream.

DE IUVENE PHRE-
NETICO ET MEDICO.

Aegroti capitis iuueni clistera ferebat
 Callidus herbarum cognitione senex.
 Aeger ad hunc, num stulte tuum delirat acumen,
 Qui medicum minime conuenienter agis?
 Quando caput cerebrumq; mihi curare uolebas,
 Cur parti aduersæ pharmaca queso paras?
 Nec mora præripiens medico clistera trementi,
 Illinit hunc capiti temporibusq; suis.
 Hic dolet, huic inquit parti medicina paranda est,
 Quid mihi cum nugis Pharmacopœe tuis.

IN MOSCVM PSEVDO-
CHRISTIANVM.

Assidue cur bella gerat, cur fulminet armis
 Moscus, et ulterius castra pedemq; locet
 Miramur causas: hæc est, non incitat ullus
 Relligionis cum, sed regionis amor.

IN CISTOPHORVM.

Nomine Christophori gaudes, Christumq;
 subinde
 Ingeminas rebus spesq; ducemq; tuis.
 Sed tamen in loculis animus cistaq; moratur,
 Assidue hanc tecum sis. ubicunq; trahis.
 Sic ego cum Christum iactas, intelligo cistam,
 Et modo Christophorus fit mihi Cistophorus.

IN LVRCONEM
 SCABIOSVM.

Cur toties tumido tibi pustula putris in ore
 Nascatur, miraris, scire subinde cupis.
 Vis dicam? ore uoras nimium, nimiumq; bibendo,
 Exitium cerebro uentriculoq; paras.
 Ergo nec immerito scabioso plecteris ore,
 Membraq; supplicium, quae meruere, ferunt.

IN LESBIAM ET
 CORDIAM.

Cur adeo tua displiceat mihi Lesbia quæris?
 Plus placet illa sibi, non placet ergo mihi.
 Idem cur adeo placeat mihi Cordia quæris,
 Non placet illa sibi, plus placet ergo mihi.

IN LV=

IN LVCIFERVM
QVENDAM.

Lucifer egregie si se putat omnia scire,
Cur nescit fatuum se miser esse rudem?
Hoc unum ignorans, non se scire omnia dicat,
Ille sapit qui se scit didicisse nihil.

ANIMA FOETIDA.

Ad coenam me saepe uocas, ad prandia saepe,
Et me saepe tuum limen adire iubes:
Non uenio? quæ causa rogas? non prandia uito,
Non edes, animæ stercorea uito tuæ.

IN DOXOSOPHV M.

Doxosophus nuper quidam me forte rogauit,
Barba priorne uiro posteriorue fuit?
Huic ego: barba uiro prior exiit horrida dixi,
Nam post barbigeras conditus ille capras.

VINVM AQA.

Quid mihi uim uini quid Bacchi robora laudas,
Roboris & lymphas dicis habere nihil?
Circumagens celeresq; rotas, lapidemq; molarem
Est equidem forti fortior unda mero.

IN BARDVLVM.

Bardule te mecum iactas uixisse annos,
 Intentum studijs, sed didicisse nihil.
 An fueris studijs intentus nescio, dicent

Hoc alijs mores ingeniumq; tuum.

Me uero immeritum posthac ut ledere cesses,

Hoc simile à nobis conuenienter habe.

Vt non omnis ager profert cum fenore fructum,

Hunc licet agricola sedula dextra colat:

Haud secus ingenium fidi non omne magistri

Reddere frugiferum cura laborq; potest.

IN EVCLIONEM

MALEDICVM.

VT tibi sunt putridi scabra rubigine dentes,
 Sic uideo dentes carminis esse tui.

Ipse quidem mordere cupis, sed robor a desunt,

En faciunt dentes uulnera nulla tui.

Ergo quid allatras alios? te mente canina

Et rabie ostendas ut tamen esse canem.

DE TVRTVRE ET
PASSERCVLO.

Turturis induerat plumas passerculus, hic se
 Compare priuatum turturibus queritur.

Lugubresq;

Lugubresq; sonos sterili decantat in ulmo,
 Ut fore se uiduum tempus in omne probet.
 Vix abiere dies aliquot, natura recurrit,
 Lasciuoq; salax turtur amore calct.
 Mentitus turtur, plumis non corde pudicus
 Fabula turturibus passeribusq; fuit.

IN POLYTROPVM.

Siluestres asinos coelo ridente sereno
 Tristari & questus edere rumor ait.
 Lasciuire autem saltu, & gaudere uicissim,
 Per nebulas pluuijs si cadat imber aquis.
 Tu quoq; letitiam cum publica gaudia poscunt,
 Tristis & in terrica ueste seuerus ades.
 Latus es è contra nitidaq; in ueste superbus,
 Flebile cum cunctis tempus adesse uides.
 Si tibi cum stolido mens est communis onagro,
 Quis nam siluestrem te neget esse asinum?

IN BARBAROSSAM.

Tv fidum esse negas ruffum, fidissimus ille
 Sed tamen arbitrio creditur esse meo:
 Nam barba rutilisq; comis cauet ipse uidentem,
 Et sibi, ne pereas, derogat ipse fidem.

IN CHRE

IN CHREMYLVM.

Rvgosam fastidit animum rugosior ipse
 Chremylus, & queritur fata sinistra tori.
 Virgineasq; comas laudat, ridetq; puellis,
 Nescius opprobrio talibus esse senem.
 Chremyle, si sapias, ô uetulam non sperne uictam,
 Fex illi placeat, qui bona uina bibit.

PHAETON.

HEI quanto infelix Phaëton felicior essem,
 Si non tacta mihi lora paterna forent.
 Qui petit alta cadit, propria tu in pelle quiesce,
 Contentus modico qui tenet ima manet.

TURCA.

Quotidie cur Turca Istri uicinior oris
 Aduolat? & nemo qui remoretur adest?
 Pro patria patinas curat, pro limite limen,
 Pro re communi quisq; studet proprie.
 Sic sensim patrie & patinae, & cum limite limen,
 Et cum priuatis publica cuncta ruent.

DE TIRAQUELLO.

Probra

PRObra Tiraquello ingeminat, doctoq; bonoq;
 Namq; quod omnigena cognitione fuit,
 Spiritibus tribuunt diuisq; penetibus illud,
 Quorum opera hunc usum subsidioq; uolunt.
 Ast aures præbere mihi si uera loquenti
 Non graue sit, qui sint hi tibi dico lares.
 Sobrietas, labor assiduus, parcissima cura
 Temporis, hæc doctum numina trina creant.

BONVS LIBER.

VT breuis est melior sublimi gemma colosso,
 Non grauitate quidẽ sed bonitate placens.
 Egregios sic arte libros non mole probamus,
 Et superat grandem sepe Epigramma librum.

DE NOMINE MAXÆ MYLIANI II. IMP. AVGVSTI.

Quis gentem Fabiam, Quintus quam Maxi-
 mus ille
 Cunctando fecit maximam:
 Quis gentem Acmyliam, Acmylij quis nomina
 Pauli
 Nescit uiri integerrimi?

scilicet

Scilicet Aufonias inter, dum Roma uigeret,

Locum hæ tenuere principem.

Quid diuine tuo dicam de nomine Cæsar &

Quod gentem ueramq; denotat:

Maximus Acmylius Maxæmyliane uocaris,

Fabium quod illum Maximum

Et simul Acmylium uirtute animoq; fideq;

Verisq; uincas laudibus.

Sis felix diuine heros, regesq; nepotes

Diu superstes aspice.

Quodq; facis, cumula meritis ingentibus orbem,

Ter optimus ter maximus.

EX GRÆCO SIMONI

DIS EPITAPHIUM

Archediccs.

Hippias illa, suo, Græcorum principis, auro
Archedice his regitur, filias pulcricibus.

Que soror, & mater, coniunx & filia regum

Non tamen clata mente procerua fuit.

IN EOS QUI COEMI

TERIA A PORCIS VASTARI

PATIUNTUR.

Cur sacra defunctis fœdos hæc area porcos
Pascit, & hoc animo cur patiente ferunt?

Credo

Credo equidem sine fine auidas gens rustica porcas
 Cum uoret, illarum porcus hic ultor adest.
 Porcus edax, qui tot botulos, farcimina, pernas
 Vindicat, ut poenam mortua membra luan.
 Si sapis abstineas petasone & carne suilla,
 Ne rostro hic moriens effodiare suis.

HERMANNO VICCIO

SPONSO.

Viccium Aonidum cultor, Phœbiq; satelles,
 Et Musis fuerat Phœbo & carissimus ipsi.
 Inuidet hunc illi Venus, & compellat amorem,
 I puer, hunc iuuenem tacitis mihi fige sagittis,
 Ut Phœbi oblitus posthac mea iussa sequatur.
 It, redit, & fixum narrat: Venus aurea ridet,
 Descisse putans iuuenem: sed tu acriter insta,
 Et Musas coniunge nouo studiosus amori,
 Victricem ut uincas Venerem, ulciscaris Amores,
 Et tua uel sero nunquam laus concidat æuo.

IN REDITVM H. BRUCEI

MEDICI ET PHILOSOPHI

CLARISS.

Gaudete ô Veneres, nudi gaudete Lepores,
 Gaudete ô Rosæ pulpita docta scholæ.
 En iterum Bruceus adest, quem Belgia tellus,
 Et nimium longæ detinere moræ.

Hei

Hei nimium longe : interea Musæq; canora
 Et ludi & suaves conticuere ioci.
 Interea Herodotus, Xenophon apud Attica, cessat,
 Flaccus, Thucydides, Hippocratesq; silent.
 Nunc illis sua uita redit, pulsusq; tenebris
 Splendidus soles te redeunte nitent.
 Salue care meis imo carissime Musis,
 Brucee aonij gloria summa chori.
 Te saluo mihi uita placet : longo ergo superstes
 Tempore, Chironis secula uince senis.
 Neue iterum Flandros olim Batauosq; reuisas,
 Nectat amor collo uincula grata tuo.

IN IMAGINEM IO.

ENGELSTEDII.

Impleram decimum quater Engelstedius annum,
 Corpore cum tali conspiciendus eram.
 Patria quando mea secreta negocia cure
 Crederet, arctoe prima corona plage.
 Christe meos quicquid posthac accedet ad annos,
 Fac patriæ & laudi seruiat omne tue.

IN HISTORIAM

SLEIDANI.

Egregijs Sleidane libris dum praelia regum
 Gestaq; pro uera religione doces :

Nobile

Nobile nomen habet uirtus pietatis alumna,
 Atq; hanc ex animo qui coluere duces.
 Vritur Impietas, uultum suffusa rubore,
 Tot cupiens fraudes tot latuisse dolos.
 Nequidquam. neq; enim rerum pulcherrima uirtus
 Nec scelera æternum tecta latere queunt :
 Fama uolat, totumq; implet clamoribus orbem,
 Durat & in seros uiua recensq; dies.
 Cui uitam ut tribuis, uitam sic nactus ab illa,
 Hoc opere æternum tu quoq; nomen habes.

DE HIERONYMA CO-
 LVMNIA FOEMINA
 lectissima.

Vnica mens alijs & uates contigit unus,
 Vix potuit uates unus habere duos.
 At tibi diuerse cum dia Columnia mentes,
 Contigeritq; ori uox uariata tuo :
 Quid mirum est uni totidem contingere uates,
 Ipsa etiam celebres quos celebrata facis.

DE EADEM.

Oris honore Venus, thalamis & stemmate Iuno,
 Arte præit reliquas casta Minerua Deas.
 Sed tu fatidicis sacrata Columnia Musis,
 Singula sint illis cum data, cuncta tibi :

C

CUI

Cur non una trium titulo sis clara Dearum
 Stirpe, animo, facie: Iuno, Minerva Venus.

IN BARBATVLVM.

Magna petis, coeloq; tuus se spiritus aequat,
 Ut capiat fastus uix schola tota tuos.
 Magna etiam loqueris, magnos tibi sumis honores,
 Quos tibi non homines nec Deus ipse dedit:
 Quem Deus extollit, bene tollitur: at simul ipsum
 Te tolles, manibus stulte premere Dei.

DE POEMATIS HEN- RICHI HVSANI, I. C.

Viderat Husani nuper cum carmina Clio,
 Aemula carminibus Vida diserte tuist
 Mirata ingenium, fecundæ & flumina uenæ
 Conticuit primum, mox stupefacta refert.
 Vsq; adeo hic callens Romani anigmata Iuris,
 Qui potuit sacris inuigilare libris?
 Aut cui Teutonice tanta est facundia linguæ,
 Excoluit Latias quomodo quæso Deas?
 Huic Phœbus: mirari equidem iam desine Clio,
 Vix alia fieri quod ratione potest.
 Nam cuius uoluit fidei committere princeps
 Heruleus sceperi iura decusq; sui:

(Herul)

(Heruleus princeps quo non præstantior alter
 Vel doctrina animi uel bonitate fuit)
 Non modo consilio, uerum & pietate decebat
 Ingenijq; alios uincere flore sui.

IN ALEXANDRVM
 MAGNVM.

Magnus Alexander paruum si credidit orbem,
 Quem sibi pugnacis subdidit ense manus:
 An non pro magno minimum se iure uocasset?
 Orbe etenim paruo quomodo magnus erat?

IN LABRONEM.

NE minus aut nimium te laudem Labro rogasti,
 Laudari nimium, quod graue, turpe minus.
 Hoc ego sed medium cum me uix posse putarem
 Tangere, nec laudo te, neq; culpo, uale.

DE STELLA AVREA
 IN HONOREM DN. NICOLAI
 GULDENSTERN
 BARONIS.

Qvamprimū emicuit roseo stella aurea Varro
 Orta procul Gothicis aurea stella iugis:
 C 2 Extrem

Extemplo insolita micuit Venus aurea luce,
 Cæteraq; insolitum signa dedere iubar.
 Scilicet hac stella cæli quoq; sidera gaudent,
 Ridet ab æthereo Iuppiter ipse polo.
 Aera non ueluti rutilante hic lumine complet,
 Sic eadem meritis regna propinqua suis.

IOHANNI CRATONI
 CONSILIARIO ET ARCHI-
 atro Cæsareo.

Cum sacer Augustus Romani sceptrâ teneret
 Imperij, medica maximus arte fuit
 Illustris Craterus: nunc Maximus Aemilianus
 Sceptrâ cadem simili dum bonitate gerit,
 Est Crato, consilijs magnam qui Cæsaris aulam
 Adiuuat, & morbos eminus esse iubet.
 Sis felix Crato, quin Cratero felicior ipso,
 Et multum Augusto temporis adde tuo.
 Viuat ut incolumis, serosq; in regno nepotes
 Collocet, & Turcæ sceptrâ subacta premat.
 Si pulchrum est, tot regna uni se credere regi,
 Cui regis uita est credita, quantus erit?

IN LVNAS INSIGNIVM
 CLARISSIMI IUVENIS IACOBI
 MONAVV Vratislaviensis, ami-
 ci cariss. Omnia

OMnia dum tenebras dum noctem cuncta mi-
nantur,

Barbariesq; nouis uiribus aucta redit:

Tu mihi præcipuos inter memorande Iacobe,
Sedulus hanc contra fortia bella moues.

Et Sophiam sanctamq; Themis defendis & ornas.

Depromens doctos qui latuere libros.

Ergo è nocturnis argentea Luna tenebris

Vt pœne obscurans astra minora nitet :

Sic uirtus nomenq; tuum quandoq; nitebunt.

Denotat id clypei candida luna tui.

IN NACAM.

CVr toties iam scripta iterat, chartamq; ni-
tentem.

Inquinat, usq; adeo cur sibi Naca placet ?

Scribendi cacoethes habet, quare undiq; plures

Stultitiæ testes expetit esse suæ.

IN EVNDEM.

Sordet Aristoteles, sordet tibi magnus Homerus.

Sordet item magno cum Cicerone Maro.

At sapiunt mireq; probas quos tempore nostro

Euomit insulos gens asinina libros. (præstat

Non mirum est: homini rosa quod pulcherrima

Præstat idem cœnum spurciciesq; sui.

AD BARTHOLEMÆVM
CLINGIVM ACADEMIAE
Rostochiensis Re-
ctorem.

Aciperet quando sceptrum regale Darius,
Indicio ante alios mane frementis equi:
Mox fragor & tonitru cœlo sine nube sereno
Inclya letitiæ signa dedere suæ.
Nunc quoq; scepra Scholæ tibi laudatissime Clingi
Cum daret unita Musicus ordo manu:
Infremuit sudum tonitruq; & fulgure cœlum,
Vnde tibi rectè tradita scepra patet.
O dilecte Deo, cuius fauēt æther honori,
O mihi germani fratris amandæ loco.
Sis felix, & uiue diu, rectoris Olympi
Munere, propitia qui tua scepra manu
Dirigat, ut Varni Scholæ te rectore iuuentæ
Floreat, & faustos sentiat ire dies.
Te rectore malos ut debita pœna sequatur,
Te rectore boni præmia certa ferant.

DE LAVREA ET NO-
BILITATE GEORGII
FABRICII.

Fabricio

Fabricio lauri meritiſſima germina Caſar
 Cum generis dederat nobilitate ſui:
 Hoc Deus ut uidit, maiori hic dignus honore eſt,
 Quam quibus in mundo condecorantur, ait.
 Nec mora cœleſtes illum conſcendere ſedes
 Inſit, & angelicis plectra ciere modis.
 Conſpiciamq; inter uates geſtare coronam,
 Et uera æternum nobilitate frui.

IN FURIUM.

Dic mihi cur plenis toties conuicia buccis
 Euomit, & totis cur maledicta libris
 Ingeminat Furius? cur multi imitantur eundem
 Quis niſi rixofum nil placuiſſe poteſt?
 Nil Furio eſt, male ni ſcribat, quod ſcribere poſſit,
 Nec tibi quod dicat, ni maledicat, habet.

IN FANNIUM

BIBULVM.

DVM uitam incolumem potando precatur
 amicis,
 Dum patris & ſponſæ nomina ſæpe bibit:
 Fannius inſano ſimilis, pallenſq; tremenſq;
 Concidit, ut uitæ ſpes quoq; nulla foret.
 Ridiculus, qui multa bibens nec profuit illis,
 Et ſibi pæne fuit cauſa pudenda necis.

IN NOMENCLATO-
REM HADRIANI IVNII AD
Georgium Hanium adolescentem
nobilissimum.

Paruulus hic liber est chartæ si pondera spe-
ctes,

Si res, immenso maius in orbe nihil.

Vix etenim quidquam formosi machina mundi
Continet amplexu uasta patensq; suo.

Quod non legitime querentibus indicet ille,
Hunc tibi do studij motus amore tui.

Quid mihi reddendum quæris? discite ista libenter,
Hoc ego uel summi muneris instar amo.

IN AVAROS.

Semper eget locuples congesto pauper in auro,
Vtilis & nulli ni moriatur erit.

Hinc tenuis tenuem pascit: qui diues egenum
Subleuet, hoc duro tempore nemo fere est.

Recte igitur dictum: quando mendicus egeno
Munera dat, cœli ridet in arce Deus.

IN MULIEREM
MOROSOPHAM.

Hanna sapis nimium, nimium sapis Hanna, mariti
Est sapere, huic mulier discat habere fidem.

TITY.

TITYRVS.

Tityrus exhaustum tum demum claudit ouile,
 Cum lupus amissas dilaniavit oues.
 Infelix ouium custos, meliusne fuisset
 Principio incolumi claudere septa grege?

IN GRAMMATELLVM.

Grammaticus uis esse bonus, uis esse disertus,
 Dictaq; mordaci dente solæca notas.
 Dente notas alios, ipsum te negligis, urbem
 Pro muris cinctam muribus esse canens.
 Infortunatam quam tu muniueris urbem,
 Mures si muris æquiparare uoles.

LAGENÆ SVB

MERSAE.

SAepe mero turgens, spumanti & plena falerno
 Hic in Cocretico fonte lagena cubo,
 Quæq; ministra prius Cereris Bacchiq; uocabar,
 Nympharum madida nunc gemo tunsâ manu:
 Scilicet ut quo me toties sum passa repleri
 Sobria nunc demum temperet unda merum.
 At tibi si quæ cura mei, miserere iacentis,
 Quæ tibi plena mero non odiosa fui.

C 5

Sed

Sed nil præteritos curas ingratis labores,
Deserta in gelidis ergo necabor aquis.

AVICULÆ BLANÆ

DISSIMAE.

HIC tibi pro cauea tumulus mea surgit Aë
canthis,

Parua, sed argutos fingere docta sonos.
Tu mihi cara quidem uolucris, tu blanda fuisti,
Gutturis processit nil nisi dulce tuo.
Sed tamen asperius si te quis forte teneret,
Hunc iterum rostro pungere cura fuit.
Sic minimo sua bilis inest: sic spicula melli,
Floribus & morsum sedula miscet apis.
Parua quiesce tamen, mea parua quiesce uolucris,
Certatim uolucres ad tua busta uolent.
Exequiasq; canant: uiolæ nascantur ibidem,
Et rosa te folijs contegat orta suis.
Est eadem natura rosæ, blandissima uisu
Floret, & ambrosio replet odore locum.
Sed tamen & spinis carpentem pungit acutis,
Ut subito læsas retrahat ille manus.
Sic mala iuncta bonis. blandæ tibi gratia uocis,
Spicula sed rostri dura suere tui.
Non ita dura tamen, quin uox tua dulcior esset,
Ergo mihi multum sæpe gemenda. uale.

EPITAE

EPITAPHIVM

NOCTVAE.

Illa ego noctis auis credentes docta uolucres
 Fallere, sub uiridi cespite tecta cubo :
 Aspectu monstrosa quidem, sed callida fraude,
 Et domino uarijs utilis esse dolis.
 Scilicet agrestes animos, educta benigne,
 Exueram, illius pasta subinde manu.
 Ergo amitis nunc summa peto, nunc mobilis inde
 Desilio, uarijs insidiorq; modis.
 Dum magnum nunc tollo caput, nunc corpore toto
 Contrahor, atq; oculos torqueo terribiles.
 Interea uolucres omni me ex parte salutant,
 Miratæ tenebras linquere noctis auem.
 Quas simul occulto paulatim hærescere uisco
 Aspiceres, captas & sua fata queri.
 Nunc eadē me fata premunt : quid profuit olim
 Alitibus uarijs damna creasse dolis ?
 Cui sacra sum Pallas miseræ quid profuit ? ipsa
 Cum nequeat seuas Parca inhibere manus.
 Quid tenebris & nocte tegi mihi profuit atra ?
 Quando uel in tenebris mors obeunda fuit.
 Discite meo exemplo, dominos uitare dolosos,
 Et nunquam innocuis fraude nocere. uale.

HERMAN.

HERMANNO VECH

TOLDO I. C. SYNDICO ET

Consuli Lubecensi.

Vechtoldus qui corde Themis Charis ore se-
rebat,

Consilio consul iudicioq; ualens,
Maximus ingenio, dicendi maximus arte,

Vir tutela urbis confugiumq; suae,

Hic iacet ante diem lugubri morte peremptus.

Consulibus toties orba Lubeca dole.

Non illo melior, non excellentior alter,

Non bonitate prior non pietate fuit.

Qui toties urbis cum laude negocia curans,

Sustinuit fidi triste laboris onus.

Vt sibi commissam regeret feliciter urbem,

Esset & optato clara Lubeca loco.

Quae nunc, & merito, exanimē tristissima plangit,

In patriam lachrymis officiosa suam.

Nam si quando Deus poenas meditatur acerbis

Urbibus, egregios eximit ante uiros:

In primisq; senes, mente, usu, etate peritos,

Consilio placidos, iudicioq; graues,

Illis si iuuenum succedat seruida proles,

Spe, liuore, odijs, ambitione tumens:

In peius tum cuncta ruunt, retroq; feruntur.

Quisquis es hinc pestem disce cauere tuam.

IN

IN POLYPHEMVM.

Potor aquæ es, panemq; domi parcissimus atrū
 Ex iure hesterni trux Polypheme uoras.
 At si quando sedes aliena ad prandia fucus,
 Largus es, & lauto præbibis ore merum.
 Importunè alios etiam clamoribus urges,
 Utq; bibant fastu, uoce, minisq; iubes.
 De proprio largire mero Polypheme, domiq;
 Prandens uel uentrem rumpe bibendo tuum.
 Dum parcens alijs alienæ ad pabula mensæ,
 Iuris & hospitij sis Polypheme memor.

O D A

IN TURPISSIMVM

SCHOLARVM ITALICARVM

morem explodendi publicæ doctri-
 næ professores, ad imita-
 tionem Horatij.

Natis in usus ingenij libris
 Bacchari fœdum est, tollite barbarum
 Morem: uerècundasq; Musas
 Tam tetrico prohibite fastu.
 Voci docentis clamor et impetus
 Immane quantum discrepat, impium.

Lenite

Lenite clamorem sodales,
 Et pedibus remanete pressis.
 Vultis seueri me quoq; sumere
 Partes magistris dicat Iberici
 Cultor Lycaei, quid tot annos
 Imbiberit studio fideli.
 Cessat uoluntas? non alia uia
 Quisquam sagacis laudibus ingeni,
 Profecit, ut praestantium
 E numero bonus emineret.
 Doctrina crescit, crescit & insita
 Vis mentis, acri examine clarior.
 Non erubescendus magistris
 Hic labor, ingenuoq; alumno
 Virtutis. ergo quidquid habes, age
 Depone tutis auribus. ah miser
 Quanta laboras in charybdi
 Barbariae stupidiq; fastus.
 Cur non docenti te docilem libens
 Submittis? aut cur te potius iuuat
 Clamore bacchari pudendo?
 Digne puer meliore mente.
 Quis doctor, quanam te poterit Schola
 Senem stuporis soluere uinculis?
 Non inde Muse te beate
 Ipsa uel expediet Minerua.

IN IBERVM.

Belgarum in coenis admirabatur Iberus
 Delicias, artem, pocula, uitra, merum.
 Ergo unde ingenia atq; artes regionibus istis
 Sint, ubi mos uinis inuigilare, rogat.
 Huic Belga: ingenium exacuens & nobile uinum
 Nos bibimus: fatuæ potor Iberus aquæ est.
 Non artes mirare igitur, non mentis acumen,
 Sunt ubi cœlifluo pocula plena mero.
 Nec mirare tuam stupido cum pectore mentem,
 Quod bibis, id tecum bos asinusq; bibunt.

LECTORI.

Si quis forte putet nostro se carmine pungi,
 Agnoscens maculas conscius ipse suas:
 Det ueniam melior: licuit semperq; licebit
 Parcere personis dicere de uitijs.

F I N I S.

Rob' Heydtmann





a .

1523



LIBER

os curas ingratis labores,
elidit ergo necabor aquis.

VLAE BLANAE
DISSIMAE.

ro cauea tumulus mea surgit A
rgutos fingere docta sonos.
idem uolucris, tu blanda fuisti,
rescit nil nisi dulce tuo.
us si te quis forte teneret,
rostro pungere cura fuit.
ilis inest: sic spicula melli,
norsum sedula miscet apis.
men, mea parua quiesce uolucris,
ucres ad tua busta uolent.
nt: uiola nascantur ibidem,
s contegat orta suis.
a rose, blandissima uisu
mbrosio replet odore locum.
nis carpentem pungit acutis,
s retrahat ille manus.
onis. blande tibi gratia uocis,
stri dura fuerit tui.
pen, quin uox tua dulcior esset,
ltum sepe gemenda. uale.

EPITAE

